



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Quæstio I. De significatione nominis subsistentiæ & supposititalitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quæst. Vlt. Vtrum essentia disting. &c. 53

huius rei exemplum esse potest oratio, vel propositio, quæ ante instans in quo consumatur, sensus eius non potest dici esse, quia nondum significat verum, vel falsum, in illo vero instanti proprie dicitur esse, quia tunc habet veram significationem, obiectioni autem sic respondeo; in illo instanti incipere esse, Sacramentum per primum sui esse in esse perfecto, quamvis secundum esse imperfectum antea fiat, sicut calor ut octo incipit esse per primum sui esse, quia tunc terminatur, & perficitur, licet ante fieret quoad latitudinem caloris per alterationem successivam: unde quod ita incipit per primum sui esse, non oportet, ut simul incipiat, sed quod in instanti absoluitur, ac terminetur, neque oportet ut diximus in hoc esse simile Sacramentum aliis entibus successivis, quæ non requirunt determinatam perfectionem, & veluti intrinsecam consummationem, sed solum successionem, atque idem respondendum est ad alteram partem de definitione Sacramenti, concedo enim illud idem instans, quod est primum esse Sacramenti perfecti, esse ultimum esse Sacramenti, quod nullum est inconueniens.

61 Dices si Sacramentum in solo ultimo instanti confert gratiam: ergo non totum Sacramentum facit illam: sed solum aliquid indiuisibile Sacramenti, quod in illo ultimo instanti requiri existit.

Respondeo simpliciter negando consequentiam, quia licet Sacramentum solum efficiat per illum ultimum terminum suum, tamen simpliciter totum Sacramentum confert effectum, quia ille terminus non efficit nisi in virtute, seu ratione totius formæ; item quia quod fit per partem, vel per aliquid, quatenus est complementum alterius simpliciter, fit ab ipso toto, sicut homo videre dicitur licet non per omnes sui partes, sed per oculum tantum videat, & peccare dicitur totus homo; licet tantum per potentiam peccet, & globus perfectus tangit planum, & impellit illud, quamvis solum per indiuisibile tangat, & impetum imprimat, adde, quod in Sacramento, licet in ratione mutationis, seu successionis illud per quod fit actio sit quid indiuisibile, tamen considerando rem ipsam semper est res aliqua diuisibilis, ut aqua sonus, vel similia; in forma autem respondeo principali argumento concedendo maiorem & distinguendo minorem, non actu existunt secundum esse imperfectum concedo, secundum esse perfectum nego, ad probationem illius eodem modo responderetur, & similiter ad alteram probationem, ut patet ex dictis.

62 Ad tertium de dispositionibus patet ex supra dictis in probatione nostræ conclusionis, non loqui consequenter Authores earum duarum opinionum, & ad vnam sententiam in intelligibilem in Philosophia adducitur alia non magis probanda, in qua eadem est omnino difficultas.

63 Ad primum Argumentum secundæ sententiæ concedo materiam non causare, nisi per entitatem actuale suæ essentia, cum hac tamen distinctione, ut essentia sit ratio formalis causandi actualitas, seu existentia conditio intrinseca ad causandum, & recipiendum; quia licet essentia, & existentia non distinguantur formaliter a parte rei, distinguuntur tamen virtualiter realiter, quæ distinctio sufficit ad hoc, ut existentia sit conditio, & ratio formalis, essentia.

64 Ad confirmationem respondemus admitendo maiorem eadem distinctione, ita ut ratio talis entis sit ratio formalis operandi, & actualitas conditio.

65 Ad confirmationem ultimam concedo maiorem, & minorem, & distinguo primum consequens: ergo

etiam ipsa causat ut existens: ita ut existentia sit conditio concedo, & ipsa virtus causæ ratio formalis, ita ut existentia sit ratio formalis operandi nego.

DISPUTATIO XV.

DE NOMINIBVS, NATVRA, & proprietatibus Subsistentiæ, & Suppositualitatis.

QVÆSTIO PRIMA.

De significatione nominis Subsistentiæ, & Suppositualitatis.

SUBSISTENTIAE sunt significationes subsistentiæ, maximæque varietas reperitur inter DD. dum subsistentiæ nomine vtuntur, nam primo Athanasius Arianorum maleus eius significationem nimium videtur extendere, comprehendendo quamcumque entitatem singularem etiam accidentis, quando ait: tres subsistentiæ orbis solatis, radius & lux, insuper tres subsistentiæ subiectum ignis, & vrens, & lucens, quod latissime prosequitur *rom. 2. in 99.* quarum prima est quid est Deus, *quæst. 4.* nisi velis, ut ait, P. Ruiz exponere vnum, & idem corpus esse triplex suppositum sola ratione distinctum, quatenus in eo recipiuntur tria accidentia, siue realiter, siue ratione distincta: Verumtamen hæc acceptio subsistentiæ nunquam à Theologis vsurpatur, non solum quia peregrina, & inaudita est, sed potissimum, quoniam Athanasius ibi non veram, & existentem similitudinem Trinitatis, sed distantissimam illius vmbra conatur ostendere.

Secundo sumitur apud PP. Græcos, subsistere 2 pro consistere, & subsistentia pro consistentia, nam Greg. Nicenus *Oratione cathegetica, cap. 1. ad finem*, Dei Verbum, inquit, eo quidem quod per se consistit, distinctum est, ac diuisum ab illo ex quo habet, quod consistit, similiter loquitur in *cap. 4. sub initio, & lib. de Trin. & Adventu Domini contra Iudeos, non procul à principio.* Subsistentia nomen pro consistentia sumit: idem Nicenus, *oratione Cathegetica, cap. 3. sub initio*, & Iustinus, *quæst. 17. ad Orthodoxos*, sed hæc acceptio eodem modo ampla videretur, ac prima, quia consistentia non solum subsistentiis, sed etiam accidentibus conuenit.

Tertio, significat subsistentia apud Aristotelem 3 ipsum actum existendi, quamvis apud antiquos Latinos, vix, aut nunquam in hac significatione reperiatur, sed in hac significatione Athanasius & Nicenus vtuntur verbo subsistenti, ad significandum, Deum existere non ab alio, sed à seipso, atque immutabiliter, ut constat ex ipso contextu Niceni, qui est optimus commentarius illius verbi; posset etiam aliquem mouere quod Gregorius Nicenus, *oratione Cathegetica, sub initio*, ait, Verbum, & Spiritus Dei essentialiter existunt, subsistunt, & consistunt; hæc autem significatio maxime communis est ad denotandas substantias, quæ non educuntur de potentia materiæ, sicut enim subsistere secundum locum dicitur terra propria virtute existens

stans circa centrum, reliqua vero inexistunt in illa, hic secundum existentiam dicuntur subsistere, quæ non innotant aliis, sed potius alia sunt in ipsis; iuxta quam significationem substantia in abstracto formaliter significat existentiam actualem subsistentis, quæ substantia non potest distingui ab ipsa entitate rei extra causas posita, neque potest illi conuenire per aliquod superadditum, neque per terminum substantialem, qui dicitur personalitas; ratio est, quia hunc modum existentia solum habent illa, quæ sunt per creationem, & conseruantur per actionem quæ correspondet creationi, quæ quidem res prius habent existentiam per solum concursum causæ efficientis, quam habeant terminum, qui est personalitas: ergo non habent actum existendi sine concursu subiecti, neque independentiam à subiecto per personalitatem, quæ sequitur ex natura, sed potius personalitas ex illa sequitur quia habet entitatem, & existentiam sine concursu causæ materialis subsistentis.

Quarto modo sumitur substantia pro substantia, quomodo Hilarius in libris de Synodis, de PP. Antiocheni Concilij loquens usus est, idcirco inquit tres substantias esse dixerunt substantiam personas, per substantias edocentes non substantiam Patris, & Filij, & Spiritus sancti diuersitate dissimilis essentia separantes. Ex quibus constat Hylarium vocem substantiam, qua PP. Græci illius Concilij vsi sunt, nomine latino substantia vertisse, & ideo tres in Deo substantias concessisse, docet etiam, ut bene adnotat P. Vazquez D. Thomas 1. part. q. 29. art. 2. in corpore, & ad secundum, his verbis, (ad secundum dicendum, quod sicut nos dicimus in diuinis pluraliter tres personas, & tres substantias, ita Græci dicunt tres hypostases; sed quia nomen substantia, quod secundum proprietatem significationis responderet hypostasi æquiuocatur apud nos, cum quandoque significet substantiam, & essentiam, quandoque hypostasim, ne possit esse erroris occasio maluerunt pro hypostasi transferre substantiam, quam substantiam, nomen latinum substantia respondere substantia, vel hypostasi: Græco eodem modo docet Aug. 1. de Trinit. cap. 6. Vbi scandalum non fuerit nullum esse incommo- dum tres substantias in Deo latine concedere, nam 4. de Trinit. cap. 9. & lib. 6. cap. 3. 4. & 5. & lib. 7. cap. 4. 5. & 6. affirmat apud Græcos tres concedi in Deo substantias, & Ioannes Papa lib. de duabus naturis contra Eutychetem, in hunc sensum capi posse nomen substantia; fatetur his verbis. Vno lumine illustratur simul, & tribus, tribus quidem secundum vniuersalem proprietatem, siue substantiam, sicut placet aliquibus dicere, siue substantiam, & personam; nihil enim pro vocabulorum diuersitate dis- sidendum est, cum ad eundem sensum nominum di- uersitas prouocet, & intellectum. Demum Boë- tius lib. de duabus naturis, tria inquit esse nomi- na Græca & scilicet, quod essentiam latine ipse interpreta- tur, vso sit, quam substantiam latine reddit, & ait vnam esse solum in Deo, id est, vnam substan- tiam & essentiam. Tertium denique hypostasis, quod latine vertit substantiam, & ita definit per- sonam rationalis naturæ indiuiduam substantiam, ac si pro substantia substantiam. intelligeret, & ideo eam rursus definit hoc modo rationalis naturæ indiuidua substantia, quo nomine sub- stantia frequentius vitur pro supposito, seu hypo- stasi; ex quibus manifestum est si vim vocis, & pri- mariam significationem illius attendamus, idem esse latinis substantiam, & substantiam, & ita

tres posse in Deo concedi substantias sicut hypo- stases, & substantias, verum vsu Ecclesiastico no- men substantia, ita est accommodatum, ut solum ef- sentiam seu formam denotet, atque adeo non pos- sent in Deo concedi tres substantia, quare Iusti- nianus Imperator, & ipse Græcus in edicto fidei, ad Ioan. Pap. 11. columna 9. est autem in 1. volumine Conciliorum inquit, omnes SS. PP. consonanter nos docent aliud esse naturam seu substantiam, & formam, & aliud substantiam siue personam, id est hoc specialius, illud generalius, cui conso- nant verba Iustini martyris quæst. 17. ad Orthodoxos [diuinarum] (inquit) consistentiarum vnum sub- stantia est indiuiduum, sed tres est diuindum] ita- que tres consistentia propriis nominibus sunt tres, ac quam consistentiam vocamus Patrem, non iam eandem vocamus filium, sed aliam: Trinitatem enim nominum dicimus esse Trinitatis consistentia- rum, non vnitate earum, itaque vnus est Deus, vno & indiuiduo substantia, sed tres personæ diui- sione consistentiarum; eandem veritatem docet se- quenti quæst. 18. & q. 129. ad Orthodoxos, & in ex- positione fidei de consensuali Trinitate, propius ad prin- cipium, quam ad medium. Hylarius ultra librum de Synodis, lib. 2. de Trinitate columna 2. & iterum, atque iterum post medium libri, & lib. 6. inter primi- pium, & medium, & lib. 7. col. 4. & 5. Idem docet atque S. Maximus toto fere libello de duabus lesu Christi naturis, qui habetur apud Damasenum post librum de duabus Christi voluntatibus Ambrosius, lib. 1. de fide ad Grauiam, cap. 9. prope medium, id confirmat his verbis: si de nomine substantia, aut naturæ diuinæ voluerint dicere, facile reuincuntur, quia & vsam græcæ & latine substantiam frequen- ter Scriptura memorabit, & Petrus vult nos, ut le- gimus, diuinæ consortes fieri naturæ, ad idem pro- bandum, instaurat plura testimonia Scripturæ lib. 3. de fide cap. 9. fere per totum, quale est illud Ps. 138. substantia mea in inferioribus terræ, quod probat intelligendum esse de substantia diuinitatis, quæ per animam rationalem post mortem descendit ad inferos; præterea confirmat verbis ler. 9. Non ac- ceperunt vocem substantia, à volatilibus vsque ad iumenta expauerunt, & defecerunt, quod eodem sensu 70. legunt; non audierunt vocem substantia, ubi licet Hieronimus substantiam dicat, non pro vsu id est pro essentia, sed pro diuinitate accipi; Amb- tamen accipit pro essentia diuina; & peculiariter au- tem Epiphanius hæres. 73. prope medium, essentia inquit nomen, nudo modo in veteri ac nouo testamento non habetur; sensus autem, & significatio eius vbi- que habetur dum dicitur substantia.

Quinto significat substantia, non solum sub- stantiam quomodocumque, sed personam id est integram, & in se vltimo terminatam substantia- termino, quæ propterea non possunt vniri aliis sub- stantialiter, qui est frequentior vsus huius vocis, & solum verificatur, ut dixi in personis, & suppo- sitis integris, iuxta quam significationem substantia in abstracto nihil aliud est, quam vltima forma rei, sic existens, & terminus substantialis naturæ, quæ in natura intellectuali est personalitas, & in hoc sensu definitur in Concil. Niceno, dum dicitur: Si quis negauerit vnam diuinitatem in tribus sub- stantiis existentem anathema sit, & in Concilio Te- letano, 11. in confess. fidei, definitur vnam tantum in Deo esse substantiam tribus substantiis constantem eodem modo loquitur Nicenum Concilium sess. 2. ubi hæc habent PP. Niceni: vna est diuinitas sanctæ Trinitatis, quæ in tribus substantiis perfectis, & æqualibus consideratur, hoc est in tribus personis, Concilium

Concilium item Ephesinum primum tom. 5. cap. 1. anathematismo 4. Si quis, inquit, eas voces, quæ ab Apostolicis, & evangelicis scriptis de Christo dicuntur duabus personis, hoc est substantiis disti- buit, &c. Atque eodem modo loquitur frequenter, idem Concilium in *profess. fidei*, Calcedonenſe Con- cilium *actione 5. in secunda fidei confessione, quæ est in fine actionis*. In vnam, inquit, substantiam concur- rente, licet alia translatio legat in vna coeunte per- sona, in 6. Synodo; quæ est Constantinopolitana 3. *actione 4. Agato Papa in epist. 2. quæ est instructio legatorum columna 2. dicit Trinitatem substantiarum siue personarum, & sæpe repetit substantias pro personis in eadem 6. Synodo, Sophronius Patriar- cha act. 11. epist. professionis fidei column. 2. 3. & 4. tres substantias repetit; 3. quoque verbo, & act. 17. in *defini. fidei, propius ad finem, quam ad medium*; decernit iterum, atque iterum vnam personam, & substantiam Christi Domini, 5. Synodus generalis, quæ est Constantinopolitana 2. in *confession. seu colla- tione 8. Can. 1. ana hematisat eum, qui non confitetur vnam Deitatem in tribus substantiis siue per- sonis, & eadem collatione 8. canone 5. & 8. decernit non esse duas personas, siue substantias, sed vnam personam, & substantiam Christi Domini Conc. Nic. 2. quia est generale 7. act. 3. in *confess. fidei Tharasi*, frequenter dicit tres substantias, & longe inferius in *exemplari literarum Theodori Patriarche Hierosolym.* sub initium tres hypostasias, siue substantias prædi- cantur, & damnat Sabellianos, quoniam Deum contrahebant in vnam hypostasiam. Aug. lib. 5. de Trin. cap. 3. in *fin. plerique, inquit nostri, id est Catholici, qui Græco tractant eloquio dicere consueverunt, vnam vnam, tres hypostasias, quod est latine vnam essentiam tres substantias, & continuo in cap. 9. sub- iungit, sed quia nostra loquendi consuetudo iam obtinuit, ut hoc intelligatur, cum dicimus essen- tiam quod intelligitur, cum dicimus substan- tiam, non audemus dicere vnam essentiam tres substantias, unde lib. 7. cap. 6. in principio, idem con- firmat. Paulinus Thessalonicen. semper utebatur illis verbis tribus substantiis, & personis, & vna essentia, clarissime autem Rusticus in *disp. contra Acephalos, inter principium, & medium, ait substantia interdum personam significat, nonnunquam ve- ro substantiam, in sancta enim Synodo Ephesi- num utrumque monstratur.****

6. Vltimo propriissime sumitur substantia, ut in *ulti- ma quæst.* contabit pro ratione formali existendi per se abstrahendo à personalitate, de quo agitur la- tissime loco citato.

7. Supposititas autem idem est latine quod Græcè hypostasis, hypostasis autem variis modis sumitur, primo enim significat essentiam, ut apud Athanas. *oratione 5. contra Arianos, paulo post principium, quemadmodum, inquit, vnum principium, & pro- eo principio vnus Deus, ita plane, ac reuera vna est essentia, & hypostasis, quæ dicit: ego sum, qui sum, & non duplex. Nec duo sint principia; iterum ipse Atha. epist. ad Episcopos Africanos non procul a te medium, scribit Nicen. PP. Scripturas spi- rare, ac redolere loquente ipso Deo, tum in libro Exodus: Ego sum, qui sum, tum per Ierem. quis est in substantia eius, & paulo post, & si steterint in hypo- stasi mea, & audissent verba mea; hypostasis autem essentia est. neque aliud significatum habet nisi hoc ipsum quod est, quod Ierem. Hyparxim nominauit, dicens, non addidit vocem Hyparxeos, nam & hy- postasis & vna, id ipsum est quod Hyparxis. Budæus autem, in *commentariis lingua Græca* notat Hypar- xim parum ab hypostasi distare, quod ad rem præ-*

sentem attinet in eisdem verbis Ierem. essentiam, & hypostasim idem esse supposuit Epiphanius *heresi 69. fol. pen. dicens, substantia & essentia idem est ratione hypostasisque, consistit enim Dominus in substantia sua, & hoc splendor gloriæ & caracter substantiæ ipsius, & Hieron. Ierem. 23. vers. 18. & 22. refert 70. & Theodosionem Interpretatos esse verbum Hebræicum substantiam, siue substantiam, August. lib. 5. de Trin. cap. 3. *proprie finem, ait essentiam dico, quæ Græcè vna dicitur, quam vltimius substantiam vocamus, dicunt quidem, & illi hypostasim, sed nescio quid volunt, inter esse, inter vnam, & hy- postasim, & lib. 7. cap. 4. initio dictum est à nostris Græcis vna essentia tres substantiæ, à Latinis autem vna essentia, vel substantia tres personæ, quia non aliter in latino sermone essentia quam substantia so- let intelligi, eodem modo vitur vocabulo hyposta- sis Hieronymus epist. 57. ad Damas. in medio; tota, inquit, secularium literarum schola nihil aliud hy- postasim, nisi vnam nouit, unde post pauca inferit quisquis tria esse, hoc est tres esse hypostasias, id est vnas dicit, sub nomine pietatis tres naturas cona- tur asserere; & paulo inferius taceantur tres hypo- stasias, si placet, & vna teneatur, atque iterum ve- nenum sub melle latet, transfigurauit se Angelus Satanae in Angelum lucis. Mag. in 1. dist. 26. cap. 1. conatur exulare Hieron. & recte quidem quantum ad sententiam de re ipsa, & dogmate fidei, falso ta- men ait Hieronymum minime negasse dicendas esse tres hypostasias, & hoc nomine vtendum esse lib. Papa in fragmento epist. ad Athanas. quæ in recentio- ribus Conciliorum editionibus est epist. 10. & inter opera Athanas. ponitur post expositionem fidei, Athanas. ait, Trinitatē esse sub vna hypostasi, non enim disperi- tur Filius, aut Spiritus sanctus à patre hypostasi, quæ implet cælum & terram; est igitur, ut dixi Trinitas in vna hypostasi non diuisa, sed per essen- tiam vna: sic ille, nam in codice Græco Latino Athan. legitur hypostasis; quoties interpretes vertit substan- tia, quam ex contextu manifestum est accipi pro na- tura substantiali, & communi tribus personis Con- cilium Sardisense qua parte Catholicum & approba- tum est epist. Synodali 3. inter medium & finem, ubi Latini codices legunt nos hanc habemus Catholi- cam, & Apostolicam traditionem, & fidem atque confessionem vnam esse substantiam Patris & Filij, & Spiritus sancti: in Græco, & apud Theodoretum, lib. 2. *historia Ecclesiastica, cap. 8. propius ad medium, quam ad finem, ita legitur, quod vna sit hypostasis, sed idem Concil. ibidem exponit vnam esse hypo- stasim; si hypostasis accipitur pro essentia, ut hæ- retici solebant accipere; secunda etiam acceptio hy- postasis, seu supposititas sumitur apud aliquos, pro substantia, ut apud Boetium lib. de duabus naturis inter principium & medium, ideo hypostasias inquit Græci indiuiduas substantias vocauerunt, quoniam cæteris subsunt, & quibuldam, quasi accidentibus suppositæ subiectæque sunt, neque propterea no- men hypostasis per Metaphoram, vel attributionem aut analogiam dicitur de substantiis, inquit liberius, sed proprie, & immediate illis conuenit nomen pro- pter impositionem, & communem consensum Phi- losophorum: tertio sumitur acceptio hypostasis, pro substantia, quomodocunque, & non quate- nus supposititatem significat, ut probatur ex Atha- nas. *serm. in Euangel. de sanctissima Deipara, ubi sic ait, hypostasis sua interpretatione designat id quod subsistit: Hieron. etiā supra vocitatus sic ait: hyposta- ses significant substantias, Theodoret, in breuiario li- berati in cap. vlt. additionum, quod incipit; quid est natura, ita exponit substantia, & hypostasis in nol-****

lo significatorum differunt, nisi nomine; substantia enim hypostasis est, sed natura quidem & substantia generale quoddam substantia vero atque hypostasis quoddam proprium significant; Boëtius hoc etiam ipsum expresse, *lib. de duabus naturis, multo propius ad medium quam ad principium*, ubi de Deo sic loquitur, est hypostasis id est, substantia, subsistit enim nullo indigens: unde dicimus unam esse viam, vel usum id est essentiam, vel substantiam Deitatis.

8 Quattro sumitur pro termino substantiali ultimo terminante, & complente naturam substantialem, de quo nobis agendum est *ultima quest. latissime*, & licet verum sit, quod vocabulum hypostasis ex prima nominis impositione, atque etymologia subsistendi fuisse latum, & indifferens, ut ex exceptionibus supra positis patet, & etiam quia ut in hac quarta dicimus, sumatur etiam pro quocunque supposito, & suppositivitate siue sit in natura intellectuali, vel in sensibili: verum tamen communis usus, non modo latinorum, sed etiam grecorum PP. restringit vocabulum, ut solum modo supposita substantiarum intelligentium appellentur hypostases, cuius rationem reddit Boëtius, *lib. de duabus naturis, propius ad medium, quam ad principium*, dicens, quare autem de irrationalibus animalibus, Græci hypostasis non dicat, sicut nos de eisdem nomen substantiæ prædicamus: hæc est ratio, quoniam nomen ex hoc meliori applicatum est, quod ipsum S. Thomas in *propositi q. 29. art. 2. ad 1.* ait ratione suæ excellentiæ, quod idem ab omnibus scholasticis recipitur, unde propria significatio hypostasis est idem quod persona, seu personalitas ut ait D. Hieronymus in *expositione symboli ad Damasum, tom. 9. epist. 19.* his verbis, non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est personas, vel ut Græci expriment hypostases: Boëtius *lib. de duabus naturis*, cum dixisset persona est rationalis natura individua substantia, continuo subiungit, non hac definitione eam, quam Græci hypostasis dicunt terminavimus, hoc est definitimus, itaque apud Boëtium eadem est definitio hypostasis, & personæ seu personalitatis, & paulo inferius, petitior (inquit) Græci sermonum hypostasis vocat individua personam; & post pauca, substantias intelligentes particulariter subsistentes hypostases appellantur in Concilio Florentino, *sessio 19.* Marco tacite approbante Concilium dicit tres sunt hypostases, & personæ reinvicem differentes. Chrysostomus *homil. 5. de incomprehensibili Dei natura colum. 2.* indifferenter utitur his nominibus, dicens personam siue hypostasis, aliam esse Filij quam Patris, de quo post pauca subdit, prima illa, & ingenta hypostasis, siue persona, confirmat idem Cyrillus Alexandrinus, *libro secundo thesauri capite 3.* in qua acceptione ita omnes scholastici, & PP. Theologi unanimiter persistunt, ut nullo modo possit hoc tempore de hac veritate dubitare.

9 Ultima tandem, & ut bene adnotat P. Didacus Ruiz peregrina, & apud ceteros omnes DD. nunquam audita est acceptio nominis hypostasis ita restricta ut eam tantum personam significet, qua subsistit posterius origine, quasi sub principio producente, iuxta quam acceptionem P. non est hypostasis, sed tantum Verbum, & Spiritus sanctus, ait enim Atha. *serm. in Evangelium, de Sanctissima Deipara*, postquam semel à Patre prodidit hypostasis est substantia est statum indissolubilem ex quo genitum est possidens; nam hypostasis sua interpretatione designat id quod subsistit, hoc est quasi secundo ordine consistit, siquidem Pater quatenus est auctor Geniti, Filium ut genitum sub se habet.

Confirmat autem observans propositionem, *hypo*, valere idem quod præpositio apud *Ioan. 1.* cum dicitur, Verbum erat apud Deum, sed hæc acceptio aperte opponitur Cyrillo Alexandrino, *lib. 5. thesauri capite tertio*. ubi sic ait, ut hypostasis, quæ generat, & quæ generatur divina Scriptura notionibus distingueret Patris, & Filij nominibus vsa est, & *lib. 12. thesauri, capite 15. sub initium* docet Filium esse alium hypostaticè à Patre, ubi D. Cyrillus aperte asserit, non solum Filium, & Spiritum sanctum sed etiam Patrem esse vere hypostasis; cui consonat Chrysostomus *homil. 5. de incomprehensibili Dei natura, columna secunda*, ubi loquens de Patre sic ait, prima illa, & ingenita hypostasis siue persona, sed clarissime August. *lib. 7. de Trinitate cap. 6. in principio*, hanc veritatem confirmat his verbis: Quamquam, & illi videlicet Græci si vellent, sicut dicunt tres substantias, tres hypostases, possent dicere hoc est tres personas, tria prosopa, illud autem maluerunt.

Nomen persona, ut inquit Boëtius, *lib. de duabus naturis*, dictum est à personando, circumflexa penultima, quod si acutatur antepenultima, aperissime à sono dicta videbitur, idcirco autem à sono, quia concavitare ipsa maior necesse est volvatur sonus, inde etiam larua, & facies conficta persona dicitur, & Græcè prosopon, & in vtraque lingua nomen ducitur à verbo personare, quod est clarius, aut vehementius sonare, propterea quod os personæ cooperimento relictum vndeque vnaque tantum vocis emittenda via apertum magis canonum sonum emitteret, id adnotavit Boëtius nuper citatus, & clarius apud Gellium Bassus, ipse autem Boëtius plenum initium, & personæ etymologiam inquirens sic prosequitur; nomen personæ videri aliunde tractum, ex his scilicet personis, quæ in Comædiis Tragædiisque, eos quorum interest homines representabant, quod vero persona prius significaverit faciem, ut supra dixi supponunt sine dubio Patres Concilij Niceni, *lib. 2. dicentes*, cum personam audimus, ne suspicemur, quod est diuinum habere humanam effigiem, expers est enim compositionis atque figuræ, ut in principio disputationum, tu ipse sicut & nos, confessus est, nam & celum & terram personam habere testantur, quemadmodum, & ipse Dominus in Evangelio ad Scribas, & Phariseos loquens aiebat hypocritæ faciem siue personam calis, & terræ dijudicare non sis, & quæ sequuntur, quicquid enim per se subsistit, quatenus per se subsistit, proprie natura personam, siue faciem, siue figuram habere dicitur; quoniam autem Concilium Nicenum verbis relatis mentionem fecerit Evangelij eodem Evangelio, hanc acceptionem confirmare corroborandamque operæ pretium duxi, quia quod *Marci 12.* dicitur, Neque vides in faciem *Matth. 22.* dicitur non respicis personam, ac denique quod Græcè prosopon significet, nunc faciem nunc vero personam dedit occasionem multis antiquioribus codicibus, ut *2. Corinth. 1. versu 11.* legerent ex multarum personarum faciem, cum vera lectio dicat, ex multorum personis inde etiam factum est, ut proprietates personales appellentur Characteres, & personæ dicantur per illas figuras: hæc etiam loquutio aniam præbuit miserrime errandi valles, qui his verbis, *lib. 7. Elegantiarum* impudens reprehendit Boëtium quod individuum intellectuale personam nuncupaverit, persona non magis est in homine quam in bruto, quod si de Deo dicenda est, non magis significabit substantiam, quam qualitate quia tam in Deo quam in homine nomen significat qualitatem alicuius substantiæ.

Quæst. II. Quid addat suppositum, &c. 57

stantiæ, qua vna differt ab alia; unde quas in Deo Theologi personas ponunt eas esse tres qualitates, verumtamen vt bene ait P. Ruiz periculosa fuit & errori proxima Vallæ temeritas; nam communis vsus Conciliorum, & PP. hæc nomina Proposition & persona refert non ad solam qualitatem, sed ad substantiam. nec ampliat vt irrationalibus tribuatur; sed restringit ad solas substantias rationales, vt patet; deinde quia in Scripturis passim legimus non esse Deum acceptatorem personarum, vt *Actor* 10. & *ad Rom.* 2. & *ad Ephes.* 6. & alii in locis, vbi persona significat ipsum humanum suppositum, sicut etiam quando prohibetur nobis acceptio personarum, vt *Iacob.* 2. & *Deut.* 1. clarius autem pro singulari homine ponitur persona *Iudicum* 11. quando Iephte misit nuntios, qui ex persona sua dicerent, &c. Deinde Cicero sapissime vtitur nomine personæ ad significandum hominem particularem, vt patet ex infinitis locis, qui reperiuntur in thesauro Ciceronis & Nisolio, & in Iure ciuili eodem modo accipitur, vt constat ex lege *Imperator Antonii* ff. de pæstis, quod etiam docet Bartol. in lege, sed & hac in principio, ff. de procur. & in instit. de adoptionibus, s. cum autem impubes, & lege 7. codice de incest. & in l. feriali codi. de impub. & aliis subtit. & specialiter l. excepta, l. pari. ff. de minorib. & leg. 1. ff. de statu hominum, & titulo per quas personas, &c. deinde falsissimum est quod ait Vallæ, dum ait personas quas Theologi ponunt in Deo esse tres qualitates, hæreticum enim est tribuere propriam qualitatem Deo, propria enim qualitas verum accidens reale est, accidens autem reale creatura, & non Deus est, sed in Deo quicquid est, Deus est, vt patet ex fide Catholica; ergo in Deo non est vera qualitas. Deinde quia tres personas vocant Theologi in Deo tria supposita realiter inter se distincta, Patrem nimirum, Filium, & Spiritum Sanctum; atqui Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non sunt tres qualitates; ergo falso asseritur ab hoc grammatico tres personas à Theologis positas esse tres qualitates; sed quid mirum cum iste insanus è sutrina proflens, vt ait Hurr. ultra crepidas procacitatem, & ignorantiam patefecerit.

Vltimo sumitur persona propriissime pro supposito intellectuali, vt patet ex his quæ dicemus. In vltima quæst. huius disputationis, quid autem significet essentia; quid natura, tum in disputationibus supra positis, tum in physicis latissime dictum manet.

& ab illo dependet: addit etiam necessariam esse negationem aptitudinalis dependentiæ propter animam rationalem, quæ non solum dum corpori vnita est non est suppositum, quia actus est in supposito; verum etiam dum est separata suppositum non est quia apta est dependere à supposito, seu potius illud componere, probatur primo ex Aristotele 7. met. tex. 21. vbi ait, quidditatem esse idem cum re; cuius est quidditas, & tex. 9. quidditatem in his offibus, & carnibus esse Socratem, & suppositum supra naturam non addit aliquid posituum, cum ex Philosopho quidditas, & natura idem sint quod Socratis suppositum.

Secundo suppositum debet intelligi constitutum, ante quemcumque modum, & passionem naturæ; omnis enim proprietas adueniens naturæ est propria suppositi: ergo ratio suppositi debet intelligi ante quemcumque modum & entitatem naturæ superadditam, sed non posset intelligi, si esset ratio positiua substantiæ, cum omnis ratio positiua adueniens naturæ supponat existentiam: ergo.

Tertio substantia humana non est conuersa in substantiam Verbi, sed si fuisset positiua, fuisset conuersa in substantiam Verbi; ergo non est positiua; maior est certa in fide: minor probatur, ideo substantia panis dicitur conuersa in corpus Christi, quia definit esse ex vi præsentia corporis Christi, sed similiter ex vi præsentia hypostaticæ Verbi desineret esse substantia humana si esset positiua: ergo.

Vltimo non possunt recte intelligi incarnationis mysterium, & ea quæ de illo Patres docent, posito illo positiuo, inde enim fieret illud positum esse neque assumptum, neque assumptibile à Verbo, atque ita non assumpsisset Verbum, omnem rem, quam in natura humana plantauit, quod est expresse contra Damascenum lib. 3. c. 6. sequitur deinde humanitatem Christi carere aliqua perfectione maxime connaturali homini quod est inconueniens.

Secunda sententia, quæ parum verbis scilicet tantum videtur distare ab hac Scoti est Durandi, asserentis nihil addere realiter suppositum supra naturam, ac per consequens sola ratione distinguere hominem, & humanitatem vt concretum, & abstractum, & probatur.

Homo idem est, quod suppositum humanum: sed homo non continet aliquid præter materiam, formam & vnionem: ergo suppositum humanum non continet amplius; unde ille modus substantiæ ficticius est, quia in definitione hominis non includitur.

Q V Æ S T I O II.

Quid addat suppositum supra naturam.

SECTION I.

Aduersaria sententia ponitur.

PRIMA sententia est Scoti dist. 1. art. 6. & dist. 6. q. 1. suppositum supra naturam addere negationem duplicis dependentiæ, actualis scilicet, & aptitudinalis dependentiæ ad aliquod suppositum; Humanitas enim Christi, suppositum non est solum, quia substantialiter est vnita Verbo, I. P. Tom. 11.

SECTION II.

Nostra sententia probatur.

PRIMA conclusio: substantia seu supposita-
litas non est negatio sed positium addi-
tum supra naturam. Hæc sententia est com-
munis inter Doctores Catholicos, & proba-
tur sic primo authoritate, & decreto secun-
di Concilij Constantinopolitani, seu 5. synod.
generalis, can. 4. ibi. Nestoriani Deum, Ver-
bum, & Iesum Christum vocantes & hominem
separatum Christum, & Filium nominantes, &
duas personas manifeste dicentes, & Conc. Ephe.
can. 3. ibi: si quis in Christo vno diuidit sub-
stantias

H

stantias